

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber  
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

IV. De collatione animae et corporis.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

## IV. DE COLLATIONE ANIMÆ ET CORPORIS.

**C**ORPUS meum longo languore torquetur, et anima mea  
 I. 5. [altissimis deliciis] fovetur: vidi enim Dominum  
 meum, et ulnis meis circumplexa sum eum; ex hoc enim  
 patitur apercula nec quiescit; trahit [ille] et [ista] fluit,  
 nec intra se capit, moram non sustinens qua eam  
 plenus amplectetur. Loqueretur libens, sed non potest;  
 namque est mirabili majestatis unione [constricta]. Paulisper  
 derelinquit ut desiderio placeat, queritque mox laudem  
 ejus, quam ad votum nequit invenire, cunctis exponi pœnis  
 cupiens infernalibus ut Creatoris laus ab omni creatura fieret  
 infinita. Intuetur dilectum dicens ei: « Domine, benedic  
 mihi, obsecro ». Ille eam rescribens retrahit salutans verbo  
 mellifluo, quod eloqui non prævalet humanus sermo. Tunc  
 corpus eam sic alloquitur: « Dic nunc ubi fueris, jam enim  
 virtus deficit membris meis. » « Tace, stultum, ait illa, ego  
 dilecto meo adhærebo tuæque mortis pœnas non curabo.  
 Ille super me gaudet, ego pro eo torqueor; hoc est ejus tor-  
 mentum; utinam ab hoc nunquam liberer. Hoc te tormentum  
 arripiat et nunquam id effugias. Amen. »

**Sic maledixit mihi Dominus dicens:** « Corpus tuum moria-  
 tū: sermo [obmutescat], oculi tenebrescant, cor tuum effluat,  
 I. 7. anima tua ascendat. Corpus tuum *adhuc in terra* maneat,  
 sensus corporeus evanescat, spiritus tuus sanctæ Trinitati  
 assistat. »

I. 8. O tu mons ardens, o tu sol electe, o tu luna plena, o tu  
 fons absque fundo; [o altitudo inatttingibilis], charitas inac-  
 cessibilis, [sapientia usque profundissima,] misericordia  
 inexoptabilis, fortitudo invincibilis, corona venerabilis, te  
 laudat homo miser et humilis.

I. 9. Habitantes in summitate veræ charitatis, ædificantes supra  
 petram immutabilis veritatis, fructificantes perseverantiam  
 in perfectione operum pietatis, hi in excelsis habitant.  
 [Glosa: id est, supra Seraphim.]

I. 10. Mundi triumphans vanitatem carnisque illecebrosam vo-  
 luntatem, ac diabolicam perversitatem, Deum vere diligit,  
 quem nec mundi adversitas, nec carnis infirmitas, nec diaboli  
 frangit crudelitas; amat enim, amoque vincet, vincit omnia.